

Lingutnaym.

etf. 60.5.

1

OBSERVATIONES
AD QVAEDAM LOCA
PROVERBIORUM SALOMONIS

QVAS
RECTORE
UNIVERSITATIS EBERHARDINAE CAROLINAE
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DVCE ET DOMINO
DOMINO

CAROLO
DVCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE
rel. rel.

PRÆSIDE
CHRISTIANO FRIDERICO
SCHNVRRER

LING. GR. ET ORIENTT. PROF. P. O.
ET CONTYBERNII ACADEMICI RECTORE
AD LEGITIME CONSEQUENDOS HONORES MAGISTERII
PHILOSOPHICI

PUBLICE DEFENDENT
a. d. Sept. MDCCLXXVI a.

RESPONDENTES
JOHANNES FRIDERICVS HOFFMANN, *Statigard.*
ET
JOHANNES THEOPHILVS SPRENGER, *Gœppingen.*
SER. STIPEND. ET MAG. PHILOS. CANDIDATI.

TUBINGÆ, LITERIS SIGMVNDIANIS,

ODES AETATIS
AD QVADRAGINTAM ANNOS

POVERORUM / SALOMONIS

REGATORIA
HISTORIAS IMPERIALIAE CAVILLARIAE
ARMATRICAS AVTISTRIAS
DILEXIT ET DEDICAVIT IOACHIMUS

CHRISTIANUS KIRCHER
CARTA AEGAEI
KENFRED UNIVERS. ZV HALLE

CHRISTIANUS KIRCHER
SCHEHERAZADE

CONTRARIETATIS ET CONTRARIORUM

DE MUSICA OCTOVENTUORUM HONORIBUS MUSICALIBUS

ET MUSICOLOGIA

CHRISTIANUS KIRCHER

CONTRARIETATIS ET CONTRARIORUM

DE MUSICA OCTOVENTUORUM HONORIBUS MUSICALIBUS

ET MUSICOLOGIA

CHRISTIANUS KIRCHER

CONTRARIETATIS ET CONTRARIORUM

DE MUSICA OCTOVENTUORUM HONORIBUS MUSICALIBUS

ET MUSICOLOGIA

TURGE, TURGE SPLENDIDA VITA



Prodiit superiore anno Oxonii è prelo Clarendoniano liber Anglica lingua scriptus, qui continet observationes ad varia loca Proverbiorum, auctore b. THOMA HVNTIO, Ædis Christi Canonico, linguaeque Hebr. & Arab. professore Oxoniense. Et quidem cum plausu haud vulgari exceptus est hic liber in Anglia, tum quod insignem præclaræ eruditioñis famam consecutus esset auctor, tum quod constaret, eum in concinnando hoc opere singularem proflus curam adhibuisse atque diligentiam. Erat enim, præter sæculi sui consuetudinem, mirum in modum timidus, sibique adeo diffidens, ut, quamvis esset in litteris orientalibus atque interpretatione scripturæ sacræ multorum annorum usu longe exercitatissimus, tamen nonnisi ægre persuaderi sibi pateretur ab amicis, ingenii sui monumentum aliquod publicæ luci exponere. Cumque tandem vietus amicorum precibus receperisset in se, suas ad Proverbiorum loca quædam difficiliora observationes in lucem emittere; tam verecunde atque modeste in hoc opere versatus est vir aliis omnibus quam sibi facilius satisfaciens, ut quæ in charas a se relata essent denuo diligentissime pertractaret, nec

A 2

quid-

quidquam prelo committeret, nisi quod esset ex omni parte expensum examinatumque quam studiosissime. In qua tanta sua modestia cum admodum lente procederet HVNTIVS jam grandævus, protraheretque opus suum per annos complures; succubuit tandem senectuti, & operis vix ultra dimidiam partem typis descripti curam obiens commisit celeb. KENNICOTTO, qui facilime etiam perficere illud potuit, cum essent omnia ad illud pertinentia a b. auctore in chartas relata. Hic itaque liber, cuius notitiam solus, quantum nobis quidem constat, dedit perill. MICHAELIS, in Biblioth. Or. & Exeg. P. IX, cum sit in paucorum extra Britanniam manus perventurus, visum est in hac scribendi opportunitate, quam nobis fecit præstantiss. Candidatorum biga, Huntianarum interpretationum quasdam, speciminis loco, in medium proferre, atque ea, quæ viri amabilissimi humanissimique nobisque etiam amicissimi memoriaræ debetur, cum modestia sub examen revocare. Deinde vero etiam alia quedam loca, ab HVNTIO non tacta, quibus aliiquid lucis affundere nos posse nobis videmur, breviter tractare conabimur.

§. I.

Proverb. I. 17. Discrepant interpretes in constituendo sensu formulæ, fruſtra spargitur rete in oculis avium, statuentibus PATRICO aliisque, illud ☰ referendum esse ad ayes, quibus rete tum fruſtra ponatur, quando ignaræ ac negligentes periculi irruant in illud, pœnamque imprudentiæ luant: aliis contra cum HAMMONDO putantibus, tum demum rete

XX

rete fruſtra positum dici posſe, quando, avibus rete evitantibus,
fruſtra laborem fuſceperit auceps. Et HVNTIVS quidem prior
ſententiam ſequitur, duplē ob cauſam, primo quod
avibus nulla iſit prudentia cavendi ſibi a laqueorum iſidiis,
deinde, quod avis incauta hic proposita ſit in imaginem latro-
num, qui ſpe prædae ac rapinarum capti in graviflma ſemet
pericula temere immittant. Sed hæc nobis non ita comparata
videntur, ut in eandem nos ſententiam pertrahere debeat.
Etenim illud quod attinet, quis eſt cui non in mentem veniat
vulgatum OVIDII dictum, quod etiam in proverbium abiit,

Quæ nimis adparent retia, vitat avis.

Hoc vero, ut mox videbimus, universi sermonis nexui tan-
tum abeft ut conveniat, ut eundem potius haud parum turbet
atque impedit. Alteram contra ſententiam ſuadent duæ po-
tissimum rationes. Primo enim haud facile quisquam dixerit
retia eſſe fruſtra poſta, hoc ſenſu, ut innuat, noluisse fe aves
a reti abſterreri: ad capiendas enim, non vero ad abſtinendas,
aves retia ut plurimum uſurpantur. Deinde, universæ oratio-
ni ſi ſuus conſtare debeat nexus ac finis, neceſſe omnino vide-
tur, ut ſermo ſit de avibus, rete ſibi nimis palam poſtum de-
ſugientibus. Etenim Salomo, dum in eo eſt, ut diſcipulum
deterreat a ſocietate pravorum iſtorum hominum, qui ex cæ-
dibus atque rapinis viſtum quærerent, duobus argumentis
utitur, quorum alterum ductum eſt a rei improbitate, alterum
a periculorum cum iſto viſe genere conjuñctorum magnitudi-
ne, hoc fere modo: noli quæſo committere, ut cum iſtiusmodi
homi-



hominibus societatem ineas, nam primo facile intelligis, quam
 prave agant ac scelestè, deinde, cum ne aves quidem sint tam
 stupidæ, ut in rete irruant, quod est palam ipsisque spectanti-
 bus positum, scito, eosdem, dum aliis insidiantur, in præsen-
 tissimo suæ ipsorum vitæ discrimine versari; quodsi itaque, mo-
 nitus de certitudine periculi, irretiri tamen te passus deinde
 fueris, sane oporteat te avicula esse multo stupidiorum. —
 Restat, ut de verbo **רֹא** dicamus breviter. Nempe quod notio
expandendi, quæ hoc loco illi plerumque tribuitur, præeunti-
 bus antiquissimis interpretibus Alexandrino, Chaldæo, Syro-
 que, neque ex etymologia probari potest, neque ex loquendi
 usu, putat HVNTIVS, formulam מורה ורשות vertendam po-
 tius esse sic, *conspergitur granis rete*, quod arabicum **رَدْ**, respon-
 dens verbo hebraico, teste SCHINDLERO in Lexico Pentaglotto,
 de sparsione præsertim granorum usurpetur. At vero quanquam
 certissimum est, illud **רֹא** cum verbo nostro conferri rectissime;
 nihil tamen facere illud potest ad probandam novam illam, ab
 HVNTIO propositam, versionem. Nam *spargendi* quidem no-
 tionem habet verbum arabicum, *conspergendi* vero nequaquam:
 & de conspersione retis si sermo foret, dicendum omnino fue-
 rat sic, תְּפִלָּה עַל־תְּשֻׁבָּה, coll. Job. XVIII, 15. Malumus ita-
 que existimare, rete *sparsum* disjectumque poëtice hic dici pro
 reti expanso, quam significationem verbo tribuere talem, quæ
 justis argumentis demonstrari nequeat.

§. II.

Cap. XXIV, 27. *Rejecta hujus commatis interpun-
 ctione ac versione recepta, tanquam dura atque inconcinna,
 novam*

novam eamque, ut putat, faciliorem proponit HVENTIVS hoc modo:

instrue foris negotium tuum

& para illud in agro:

i postea, & ædifica domum tuam:

Sed tantum abest, ut vulgatam illam verborum divisionem duri quid habere existimemus, ut potius indoli linguae hebraicæ longe convenientior nobis videatur nova hac Huntiana, adeoque firmiter tenenda. Modo notandum, vocem וְעַד, quæ perinde ac reliquæ particulæ separatæ fere omnes origine & proprietate sua nomen est, significans tempus subsequens, positum hic esse in nominativo absoluto, cui particula Vau recte subiungitur (vid. 2 Sam. IV, 10. Jerem. VI, 19. 1 Sam. XXV, 27. Exod. XII, 15. 19.), adeoque latine exponi debere hoc fere modo: quod attinet tempus subsequens; ædifices &c. i. e. postmodum ædificare poteris & amplificare domum tuam. Altera vero sententia hoc habet incommodi, quod formula לֹא אָחֶר וּבִנֵּת contraria esse videatur constanti sermonis hebraici consuetudini, quæ in talibus locis, quibus primum hoc, deinde illud agendum præcipitur, vocem אָחֶר in ipso statim initio sententiae positam esse vult, veluti Genes. XXIV, 55. Numer. XXXI, 2. Levit. XIV, 8, 19 &c. — Sensus tandem loci quod attinet; probamus eorum sententiam qui putant, commendari hic agriculturam ac rem pecuariam strenue exercendam, unde justæ prius facultates comparari debeant, quam sit de domus exædificatione atque exornatione sumptuosa cogitandum.

§. III.

§. III.

Cap. XXV, 13. Formulam **שָׁלֹג**, in qua declaranda admodum variant interpres, ita exponit HVNTIVS, ut dicat esse vas nive repletum: utiturque ad probandam suam sententiam hoc triplici argumento, 1) quod **אַנְצָנָה** Exod. XVI, 33. sit urna ad Mannam asservandam usurpata, 2) quod Arabicum nomen **עַז** denotet fiscellam plicatilem, itemque nomen arab. **חַגָּה** Hagg. II, 16. respondeat græcae voci **υψελην**, & aliud, **צָנָא**, Exod. XXVII, 3. cap. XXXVIII, 3 positum sit pro hebraico **סִירּוֹת**, 3) quod verbum cognatum **עַז** in lingua arab. habeat notionem recondendi. Sed videntur huic argumentationi quedam inesse quæ non plane probari possint. Nam primo illud **עַז** trahendum huc non erat, cum vas nivi servandæ aptum nimis diversum sit à fiscella plicatile: deinde verbum **עַז** nihil facere potest ad declarandam vocem quæ ex radice **צָנָא** suam trahit originem, quapropter illorum etiam sententiæ parum tribuimus, qui hoc ipso, at nimis lubrico, fundamento nixi, phrasin **שָׁלֹג** vertunt, asservatio nivis, h. e. nix asservata. Tutilissimum autem videtur, Vulgatum hic sequi, quem LVTHERVS etiam feliciter hic secutus est, Chaldaicumque interpretem, qui uterque vocabulo **שָׁבֵח** frigoris significationem tribuit. Nec erat cur hoc rejiceret HVNTIVS ea sola de causa, quod nullo in loco istam vocis significationem deprehenderit. Sufficit enim, Chaldaeorum **אַנְצָנָה** hoc ipso sensu usurpari Job. VI, 16 & in Targum Hierosolymitano Gen. VIII, 22, atque etiam in Samaritana versione idem vocabulum positum esse ad expriment dum hebr. **כְּבֻקָּה**, Genes. XXXI, 40. Adeoque sensus loci hic est: quem-

❧ o ❧

quemadmodum potus nive refrigeratus hominem æstivo calore fessum reficit, sic legatus fidelis recreat atque oblectat eum, à quo cum mandatis missus est. Nimirum quod apud recentiores Libani accolas usitatum esse commemorant testes fide digni complures, adhiberi nivem ex Libano desumptam ad potum tempore æstivo refrigerandum, idem antiquissimis etiam temporibus in istis regionibus in usu fuisse admodum est credibile. Extat in *Gestis Dei per Francos, Hannov.* 1611, pag. 1098, locus insignis, atque dignus qui cognoscatur. „Nives nisi circa „montes altitudine nimia præminentibus, cujusmodi est Libanus, „in terra rarissime reperiuntur. In toto autem æstivo tempo- „re, & maxime in diebus canicularibus ferventissimis, & in „mense Augusti, nix frigidissima a monte Libano per duas vel „plures dietas desertur, ut vino commixta, tanquam glaciem „ipsum frigidum reddat. Conservantur autem prædictæ nives „sub palea, ne servore solis, seu calore aëris, dissolvantur.„ Producitur hic locus in libro cui titulus est, *Observations on divers Passages of Scripture &c.* (by THOMAS HARMER), & quidem pag. 393 vol. I editionis novæ, quæ hoc ipso anno prodidit Londini 2 voll. 8°, estque priore, quam in vernacula lingua transtulit b. Jo. ERN. FABER, sub titulo, *Beobachtungen über den Orient aus Reisebeschreibungen* 1772, multo auctior. Addatur testimonium LEONH. RAVWOLFII in *Reisbeschreibung*, pag. 282 edit. an. 1582. 4. „Das Gebürg Libanus ist sehr hoch — „zudem so findet man auch den ganzen Sommer durch Schnee, „so von dem Berg herab gebracht wird, in ihren Batzaren „oder Kaufhäusern zu verkaussen, um ihre Getränk, sonder-

„lich in Hundstægen, darmit zu kühlen, welchen sie Knollen,
„weis darein werfen.“

§. IV.

Cap. XXVI, 23. Quamquam variæ prostant loci non admodum obscuri expositiones; nos tamen, missis reliquis, eam tantum examinabimus, quam proposuit b. HVNTIVS. Sunt vero tria potissimum, quæ hic observanda veniunt, primo, quod שפחים דלקים asserit esse labia flagrantia amore dictorumque blanditiis, deinde, quod duce ABENESRA בטה טנום exponit, argentum bene purgatum scoriisque vacuum, tandem, quod ex auctoritate versionis Chald. Syræ & Vulgatæ posteriori hemistichio addendam vult particulam comparativam נ, unde demum hæc versio oritur, purissimum argentum, obductum vasi testaceo; sic sunt labia ardentia, & cor malignum.

Et nostra quidem sententia illud magnopere laudandum, quod labia intelligit amoris ardore flagrantia, secus ac aliorum fert opinio, qui, cum animadverterint, verbum דָק in locis aliis omnibus inimico sensu usurpari, hic quoque de labiis odio ac inimicitia ardentibus sermonem esse contendunt. Quapropter SCHVLTENSIVS, ut hancce difficultatem removeret, in comment. ad h. l. ex usu linguae arabicæ, in qua verbum דָק de lingua dictum, linguae volubilitatem atque promptitudinem describit, probare instituit, שפחים דלקים labia esse promta & expedita ad declarandam benevolentiam. Sed hoc ipsum haud satis firmum nobis videtur, ut consistere in eo possimus. Nam primo illud facile intelligitur, linguam, cum volubilis atque expe-

expedita dicitur, non simul describi tanquam blanditiis ac amore flagrantem: deinde verbum קָרְבָּן universim est *acuere*, & quando de lingua usurpatum, proprie denotat talem, quæ non obtusa sit atque hebes, sed acuminata & mobilis, id vero est, diserta atque ad dicendum expedita: *acuminis* autem notio, quamquam de lingua recte usurpari potest, ad *labia* tamen com mode transferri nequit, nec erit facile quisquam qui, hominem disertum prædicaturus, *acuminatis* eum *labiis* prædictum esse dixerit. Quæ cum ita se habeant; rectius quidem abstinentum putamus ista Schultensiana probatione, sed ipsum tamen, quem supra laudavimus, formulæ שְׁפָתִים וּלְקִים sensum, ut verum ac legitimum defendimus. Etsi enim ex usu loquendi demonstrari nequeat; ipsius tamen loci, de quo agitur, natura & scopus eundem necessario, ut nobis quidem videtur, exigit atque postulat. Etenim ut cor malignum cum testa comparatur tanquam re vili, cui pretii nihil inest: ita *labia*, וּלְקִים dicta, cum argento: quod si genuinum sit & purum, magni profecto pretii est, sin minus, pretii tamen speciem aliquam habet. Huic itaque imagini nisi venustatem atque veritatem plane omnem adimere velis; statuas oportet, de ejusmodi *labiis* sermonem hic esse, quæ amicitiae saltem speciem aliquam præ se ferant. Estque hoc adeo clarum & evidens, ut qui vocem רְקִים de *labiis* odio ac inimicitiis flagrantibus exponunt, necesse habeant consurgere ad hypallagen, quo argentum *scoriosum* convertitur in *meras scorias*. Sed ista hypallage nobis æque precaria videatur ac ABENESRAE illa interpretatio, HYNTIO etiam, quod



miramur, probata, qua סִינְגִּיטָם sumitur pro argento diligenter
 purgato: quod non modo regulis grammaticis repugnat,
 sed ipsius etiam Sententiae pulchritudinem perquam minuit ac
 fere destruit. Ecquid enim veri pretii inest sermonibus adulato-
 riis atque ad sucum faciendum compositis, ut cum argento
 studiose purgato, si vel in tenuissimam laminam diductum sit,
 comparari mereantur? Emendationem denique textus propo-
 sitam quod attinet; haud tanta nobis hoc in loco videtur vete-
 rum interpretum auctoritas, ut particulam illam ἐν obtruda-
 mus contextui, qui illa egregie carere potest. Non enim hic
 est oratio, ex duobus membris, quibus ad conjunctionem par-
 ticula opus sit, composita, sed est propositio simplex, una, quæ
 more Hebræis haud inconsueto prædicatum tanquam id, in
 quo major emphasis posita est, subiecto suo habet præmissum.
 & latine sic verti debet, *argentum spurium testa obductum est os blandiloquum cum animi malevolentia conjunditum.* Egregia omnino
 sententia, in qua rerum inter se comparatarum exactissima est
 similitudo. Prouti enim testa argento spurio obducta magnam
 quidem pretii speciem habere videtur, at proprius ac intus ex-
 minata si fuerit, parvi æstimator: sic verborum blanditiæ, si
 sint cum malevolentia animi conjunctæ, præter sucum ac frau-
 dem habent — nihil,

S. V.

Cap. XXVIII, 16. In vulgata hujus loci interpreta-
 tione hoc vel maxime desiderans HVNTIVS, quod membrorum
 inter se contrapositio non sit clara atque perspicua, novam eam-
 que duplice proponit ejusdem expositionem, alteram hanc, ut,

voce

voce מושקות passivo sensu sumta, vertatur,
 princeps destitutus prudentia multis obnoxius est oppressionibus,
 sed avaritiam qui odit, prolongabit dies suos,
 alteram, qua prolongare dies idem sit ac, multa patientia uti,
 hoc sensu:

princeps destitutus prudentia multus est in oppressionibus,
 sed avaritiam qui odit, dies aliquot exspectabit.

Enimvero, ut de eo nihil dicamus, utriusque expositioni inesse
 aliquid incertum atque arbitrarium, ac præcipue formulam,
 יארך ומים, sensum, qui ipsi tribuitur, admittere non posse; evi-
 dens est, ne sic quidem esse etiam esse, ut justa atque distincta
 appareat inter duo hemistichia antithesis. Neque effici id ullo
 modo probabili poterit, nisi observetur, utrumque orationis
 membrum ellipticum esse atque ex altero supplendum, id quod
 in ejusmodi Sententiis, quarum character præcipius in brevi-
 tate positus est, sæpiissime accidit. Veluti quum cap. X, 8 di-
 citur, sapiens corde recipit præcepta, at stultus labiis corruit;
 facile adparet, neque subjecta orationis neque prædicata perfe-
 cte sibi invicem esse opposita. At utrumque membrum commu-
 nicat alteri quicquam de suo, ac vicissim accipit ab altero, quod
 ipsi deest, ut plena oratio hæc sit: qui sapiens est corde & labiis,
 admittit præcepta atque a lapsu immunis manet, at qui stultus est
 corde & labiis, præcepta recusat admittere & corruit. Similiter
 ejusd. cap. v. 13 sensus hoc modo est constitutus: homo in-
 telligens sapienter loquitur, adeoque cum neminem dictis offendit,
 amatur ac honoratur, imprudens contra, imprudenter dictis alios
 sape ledens, odia hominum patitur & verbera. Itaque hunc



etiam, de quo nunc agimus, locum hac ratione declarandum putamus: Principem quod attinet, qui caret prudentia; pronus est ad injuriam aliis faciendam, adeoque, dum multorum in se odia concitat, molestam sibi reddit vitam atque incertam: quæstum contra injustum quicunque odit, is prudenter agit, vitamque ducet tranquillam & longævam.

§. VI.

Cap. XXIX, 5.

Ellipsis quæ in vulgata hujus loci expositione statuitur ut evitetur, suadet HVNTIVS, conjungere vocem רשות cum participio מזריק, huicque significationem tribuere eam quæ conjuncta esse solet cum hoc verbo in lingua arabica, qua תלק est ambire, cingere, תלק autem parare & formare, ut jam sensus sermonis hic prodeat: *qui parat rete alteri, objicit illud suis ijsibus gressibus*, h. e. alteri qui nocere studet sibi ipsi nocet. Sed malumus nos persistere in vulgari illa interpretatione. Nam primo quod ellipsis attinet vocis לשות vel אפריו, quæ solet alias conjuncta esse cum verbo מזריק, velut Psalm. V, 10. Prov. II, 16 & XXVIII, 23; eo minus illa reformidanda est, quod eadem recurrit in altero loco, Psalm. XXXVI, 3, adeoque proficta aut arbitraria, quales aliae multæ sunt, haberi haud facile potest. Deinde si רשות construendum sit cum verbo מזריק, tunc a vix abesse posse videtur pronomen אורה, suppletum quoque ab Alexandrino interprete, qui sic verba reddit, ος παρασκευαζεται επι προσωπου τη εαυτη φιλη δικτυον, περιβαλλει αυτο τοις εαυτη ποσιν. Denique, si nostro quidem sensui tribuere quicquam liceat, Sententia hæc, alteri qui blanditur rete ponit ad illum capiendum, concinnior

cinnior videtur atque elegantior altera illa, qua is, qui alteri nocere studet, sibi ipsi nocere dicitur.

§. VII.

Cap. XXX, 27. In definienda significatione vocabuli חצץ mire discrepant interpretes. Et SCHVLTENSIVS quidem in Animadvers. ad varia loca Vet. Test. quæ an. 1709. primum prodiere, præente BOCHARTO Hieroz. P. II. lib. 4. cap. 2, in subsidium vocans arabicam notionem verbi חצץ, quod in conjugatione 3 & 6 est *portiones partiri*, sic declarandam esse formulam כלו ווַעֲזָא חצֵץ existimat, ex eunt et unaquæque spolium distribuit sibique propriam sortem assignat: eademque interpretationem in Commentario quoque suo ad Proverbia, anno demum 1748 in lucem emissò, probat atque repetit, quamquam alias sœpissime recedit à laboribus suis, ut ipse vocat, juvenilibus. Neque tamen magni hujus ac de litteratura orientali immortaliter meriti viri auctoritas moveat nos potest, ut in ista sententia acquiescendum putemus. Nam ut de eo non dicamus, parum apte de locustis dici quod egrediantur, sortientes prædam, utpote quæ non statim sub egressum dispergitur; evidens omnino est, talem aliquam rem laudari tanquam admiratione dignam in locustis, quæ alioquin in nulla multitudine nisi per imperatoris, cui omnia subsint, summam auctoritatem effici atque obtineri possit. Jam vero prædæ divisio non est ex earum rerum genere, quæ perfici absque imperatore nullo modo possint. Æquabilis ac justa si quidem esse debeat prædæ inter multos distributio; tunc omnino opus est, ut adsit qui rem universam moderari sua auctoritate, atque omnes ac singulos

con-

sumptu

continere in officio possit. De ista vero distributionis *equabilitate* cum nihil sit in orationis contextu dictum, quod tamen ad sensum constituendum videtur plane necessarium; sequitur, aliam eamque aptiorem exquirendam esse verbi *يَعْنِي* significationem. **HVNТИVS** itaque, **SCHVLTENSIANAM** cæterum interpretationem haud improbans, conjecturæ in modum, ut ipse modestissime ait, notionem verbi arabici *يَعْنِي*, quæ in *infigando, incitando* posita est, commendat, putatque versiculum comode sic transferri posse:

Locustæ regem non habent;

At egrediuntur tamen in aciem, ad bellicum universi sui exercitus.

Sed hic iterum variæ difficultates obversari videntur. Etenim primo haud admodum clarum est, quomodo locutæ, quæ ipse exercitum constituant, dici possint egredi ad totius *sui* exercitus impulsu. Deinde etiam hoc non bene intelligitur, quod, posita significatione *excitandi*, formula חַבְלָן חַצְבָּן verti queat, *ad motum omnium*, cum vocabulum חַבְלָן neque nominis formam habeat neque particulam sibi præfixain. Et quamquam hæc quidem difficultas evitari facilime potuerat substituendo in locum formæ receptæ participium passivum חַצְבָּן f. חַצְבָּן; illud tamen præcipue obstat universæ huic interpretationi, quod arabicum verbum חַבְלָן hac in quæstione locum habere nequit. Dicitur enim, monente GOLIO, pro verbo arabico חַתְּחָן, quod ipsum cum respondeat hebraico שְׁשָׁן, illud quodque eidem, non autem verbo חַבְלָן, respondere censenduna est. Nolstram itaque

itaque sententiam si dicere nobis liceat, putamus nos eam verbi arabici γυμ significationem hic esse usurpandam, quæ est in *festinando* posita, & locum ipsum sic vertendum,

Locustæ regem quidem non habent, sed egrediuntur tamen festinanter omnes.

Atque hac demum ratione sensus obtineri videtur, qui sit menti ac consilio auctoris hujus Sententiae accommodatissimus. Potest enim profecto hoc tanquam singulare quid & admiratione dignum commemorari de locustis, quod immensæ multitudinis agmen, utut nemini subsit, cuius imperio atque auctoritate regatur, sponte tamen ita coalescit atque cohæret, ut quando procedendum sit in aciem, omnino *omnes*, nulla vel renitente vel cunctante, promptissimas sele exhibeant paratissimasque. Digna est, quæ cum hac Aguri Sententia conseratur de locustis narratio, quam dedit THOMAS SHAW in Reisen, oder Anmerkungen, verschiedene Theile der Barbarey und der Levante betreffend, pag. 165 sq.

§. VIII.

Sed ne videamus illis tantum oblectari, quæ habent, quod emendari vel reprehendi possit, age ejusmodi quoque interpretationem adducamus, quæ nostro quidem judicio non modo ingeniosa est, sed vera etiam ac prorsus laudabilis. Illam intelligimus, quæ versatur circa locum difficilem atque obscurum cap. XXIX, 21. Hærent hic interpretes in vocabulo dubio מִנְן, sed consentiunt tamen fere omnes, *filii* significationem recte illi tribui posse, ob formulam יְהִי רָאשׁוּ, Psalm. LXXII, 17, quæ verti solet, nomen ejus *sobolebet*, seu, per filios propagabitur. Communis itaque loci nostri expositio hæc fere solet: *Si quis*

C

deli-

delicate habet inde a pueritia servum suum; in postremo suo servus ille erit quasi filius, h. e. filii potius quam servi conditionem habere apud herum suum cupiet. Sed qui diligentius eam examinaverit, haud quicquam firmum & stabile in ea deprehendet. Primo enim quo jure illud, filius erit, eo trahatur, ut idem sit ac, filii conditionem affectabit, non perspicitur. Deinde nihil incertius esse potest illa ipsa significatione *filii*, cum verbi יְנִיעָה, quo illa unice nititur, & origo obscura sit, & lectio ipsa plane incerta. Veteres certe interpretes si audias, nullus est, qui suo eam testimonio confirmet: nam Syrus eam prorsus negligit; Chaldæus habet מַזְמָן, hebraice בְּכֹרֶת; & Alexandrinus cum Vulgato, quorum ille habet διάυρες, hic, permanet, haud obscure innuit lectionem ιππόν, ex qua נָעַן aut יְנִינָה levissima permutatio ne litterarum simillimarum fieri potuit. Denique versio illa universa nimis arbitraria est, & longissime recedit ab ordine verborum contextus hebraici. Est vero hic מַפְנָק nominativus absolute positus, cui particula Vau subjungitur (conf. §. II.), adeoque secundum regulas grammaticas versio commatis erat instituenda hæc, *eum quod attinet, qui inde a juventute delicate habet servum suum, is postea erit filius:* quod quam sit absurdum & sensu omni vacuum, quilibet, nobis etiam non monentibus, facillime intelligit. — Jam contra videbimus, quamnam rationem in hoc dicto exponendo secutus sit doctiss. HVENTIVS. Et primo quidem observat, suffixum nominis עֲבָדָן orum videri ex errore librarii, decepti fortasse vicinitate ejusdem litteræ proxime insequentis, adeoque tanquam spurium e loco suo esse eliminandum. Neque vana est hæc conjectura, sed gravissimis

vissimis nixa auctoritatibus. Nam præter solum Vulgatum, qui locum hunc liberrima ratione sic vertit, *qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum esse contumacem*, nullus veterum interpretum illud suffixum habuisse in suo codice videtur, Alexandrinus enim vertit, *ος κατασπαταλα τη παιδος, ομετες εσαι*, & Chaldaeus Syrusque similiter, qui deliciis indulget a pueritia sua, *servus erit*; unde admodum credibile fit, lectionem veram & genuinam esse, non עבּוֹן בְּעֵד, qua posita & verbum יְדוֹת ex sequenti hemistichio supplendum & pro קָרְבָּן substituendum est partic. pass. מִפְּנַקְדָּה. Deinde מנְנָא derivat a rad. אֲנָא gemuit, doluit, cuius prima radicalis eo probabilius dici potest excidisse, quo plura extant ejusmodi exempla alia, veluti בְּכָלְתָה 1 Reg. V, 11 (25), בְּלֶפְנֵנו Job. XXXV, 11, בְּרִיחָה Ezech. XX, 37 cæt. qua in re, quamquam auctoritatibus non est opus, consentientem habet Syrum interpretem, qui vertit, *& in novissimo suo suspirabit*, ac forte etiam Alexandrinum, qui sic habet, συχατον δε οδυνθησεται εφ' έαυτω. Sensus itaque Sententiae, isque eo, qui alias plerumque statuitur, haud parum aptior atque elegantior hic est: qui inde a pueritia molliter nimis ac delicate habetur, servus erit, & adultam ætatem habebit miseram ac deplorabilem. — Sed hæc sufficiant de interpretationibus HVNTIANIS.

§. IX.

Superest ut alia quædam loca tractemus breviter. Et primo quidem dicemus de capitis XII versu 21. Prius hemistichium sic vertit Alexandrinus, ον αρεσι τα δικαιω εδεν αδικον, Chaldaeus pariter Syrusque habet, *non pulchrum est iusto quicquam iniquitatis*. Varietatem hanc commemorans in Notis suis uberioribus

C 2

ad



ad Proverbia CHRIST. BENED. MICHAELIS fatetur, incertum esse, quo fundamento nitatur hæc veterum interpretum ab hebraico sermone discessio. At nos videmur nobis ejus rei causam non improbabilem in eo deprehendisse, quod veteris illi habuerint lectionem פָּנָן, a nostra פָּנָן obveniet, litterarum figuram si species, nonnisi levissime dissidentem. Hac enim posita, cum verbum פָּנָן denotet *expetere, desiderare*, sermonis hebraici sensus planissime hic prodit, *non desideratur justo quicquam iniqui*, qui ab eo, quem a veteribus expressum videmus, nullo modo discrepat: Arabs certe Proverbiorum interpres, qui suam versionem consecit ex Alexandrina, græcam illam formulam *et aperte* ita reddidit, ut ipsius versio, *non cupit justus iniquitatem*, hebraicæ locutioni sit quam simillima. Jam de pretio lectionis si judicandum sit, non multum nos hæsitamus, eam, quæ veterum testimonii confirmatur, anteponere vulgatæ, utpote quæ ita comparata videtur, ut sensum commodum ac certum admittere vix possit. Sunt quidem, qui vertunt, *justo non obveniet ulla molesta*. Sed præterquam quod parum caute Salomonis tribuitur tale effatum, quod innumeris ex quavis ætate virorum optimorum iniqua plurima perpeſſorum exemplis refellitur, obstat quoque illud, quod, monente ad h. l. MICHAELIS, vox פָּנָן quæ novies in hoc libro occurrit, nusquam nisi *iniquitatis vel pene cum ea conjunctæ* significationem habet. Hanc vero si cum eodem tenendam, locumque sic accipiendum esse dixeris, ut sensus sit, *a justo non perpetratur iniqutus*; verendum est, ne jure hoc reprehendatur tanquam incertum nimis ac prorsus arbitrarium. Neque SCHVLTENSII nova interpretatio admodum
 pro-

¶ O ¶

probabilis nobis videtur. Putat nimirum, rem intricatissimam, ut ipse vocat, sic demum facilime expediri posse, si sumta verbi **רָגְבָה** significatione arabica, locus hac ratione vertatur, *non matureret iusto ulla omnino molestia*, quod, cum per se non sit valde perspicuum, ulterius declarat his verbis: „dubium nemini re-
„lictum, quin Salomonis genuina mens sit, *non maturescere si-
„netur iusto ulla molestia*, non permittet justorum vindex, *ut ad
„summum gradum & fervorem maturitatis perveniat*: si **רָגְבָה** pro **כִּרְמִים**, & *iniquitate*, quis vellet, ne sic quidem abhorrens foret,
„*non maturescere finetur iusto ulla iniquitas*, enimvero *tanget ju-
„stum*, sed *maturitatem non attinget*; nec *moris* eum *laqueis* denuo
„*implicabit*.,, Sed nostro quidem judicio nimis longe quæsita
est singularis illa, quam in notione *maturescendi* deprehendis.
sibi visus est vir doctissimus, emphasis, huicque Sententiae eo
minus conveniens, quod ex universo illius habitu & forma sa-
tis adparet nihil hic ingeniosi vel ænigmatici subesse verbis pla-
nissimis. Contra vero altera lectio, **רָגְבָה**, qua posita hic sensus
prodit, *viro probo nihil desiderabile est, quod non sit iustum, im-
probi contra inhiant iniquitatibus, iisque semet quasi exsatiant ingur-
tantque*, magnam omnino in se habet sui commendationem.
Nam primo sensum dat facilem, perspicuum, egregium, in quo
membrorum perfecta oppositio perspicitur. Deinde cum voca-
bulum **רָגְבָה** sit ex genere eorum, quæ habent aliquid insolentius
atque exquisitius, & tamen tribus interpretibus diversis
communiter usurpetur; profecto parum credibile est, illud vel
ex errore, vel ex pruritu emendandi suam habere originem.

Z Z O Z Z

§. X.

Cap. XVIII, 1. In sensu hujus loci, quem haud medio-criter obscurum videri ipsa sententiarum de eo mira diversitas arguit, investigando ante omnia dispiciendum est de *subjecto* orationis quod voce נִכְרֵת describitur. SCHVLTENSIVS, postquam in Animadvers. suis philolog. statuerat, נִכְרֵת esse hominem *solitarium*, digressum ab hominum profanorum consortio, coll. arab. פָּרֶד quod in II conjug. significat, *segregavit se a ceteris*, peculiariter *religionis ergo*, in Commentario deinde suo COCCEJI sententiam fecutus, hominem intelligit *ιδιογνωμόνα*, suis unice opinionibus delectatum. Ven. contra TELLERVIS, in Auctario ad commentarii SCHVLTENSIANI editionem Halensem, talen innui putat, qui sit perditus atque *diffolitus*, voluntibusque omnibus inhiet. Sed cum nihil horum ex loquendi usu probari possit; malum nos cum Alexandr. Ar. & Vulgato eum intelligere, qui *vult recedere ab amico*, i. e. qui nuncium amico vult mittere. Nam hoc ipso sensu verbum נִכְרֵת usurpari evidens est ex cap. XIX, 4: & *participium recte potest ad futurum tempus referri*, ut נִכְרֵת *sessurus* Exod. XI, 12. נִכְרֵת *moriturus*, Jerem. XXVIII, 16. נִכְרֵת populus *nascendus* Ps. XXII, 32. Jam quod attinet ad *predicatum*, facile intelligitur, neque cum SCHVLTENSIO verti illud posse, *pro libidine questiones agitat*, neque cum ven. TELLERO, *inhiat voluptatibus*: neutrum enim ita comparatum videatur, ut possit cum *subjecto* suo probabili quadam ratione conjungi. Nec illud admodum placet quod habet b. CHR. BEN. MICHAELIS, præstantissimus cæteroquin Proverbiorum enarrator, qui putat, formulam, *cupidinem vel cupidini querit*, idem esse ac, ea tantum sequitur, quæ moroso ac stulto placeant ingenio. At contra Alexandrinum interpretem si audias; plana omnia habebis ac mire perspicua. Vertit nimurum prius hemistichion hac ratione, προφασεις ζητει αυγη βελομενος χωριζεται απο φιλων, ex quo adparet, usum eum fuisse vocabulo נִכְרֵת, qua in re, præter Arabem, Vulgatum etiam habet secum consentientem, qui similiter ita: *occasions querit qui vult recedere ab amico*. Et profecto negari nequit, hanc ipsam lectionem pluribus de causis videri quam maxime desiderabilem. Nam nonnisi levissime discrepat à lectione recepta, ut hæc ex illa derivari facillima mutatione potuerit, & sensum dat egregium atque peripitie cuum

etiam, & firmatur præterea ipso loquendi usu, coll. loco Jud. XIV, 4, in quo formula בְּקַשׁ רָאֵנָה cernitur. Neque tamen nos eandem præferendam ac pro vera & genuina habendam facile dixerimus. Nam in altera illa, בְּרָאָתָה, præter Chaldaeum Syrumque interpretein consentiunt quoque Aquila & Symmachus, qui uterque habet εἰς ἐπιδυμαὶ, & Alexandrinæ contra versionis auctoritas nihil omnino præsidii accipere potest ex consensu Arabicæ Vulgatæque, cum manifestissimum esse debeat, hanc non minus ac illam, hoc certe in loco, ex ipsa versione greca, non vero ex hebraico contextu, fuisse confessam. Sed quanquam lectionem בְּרָאָתָה, utpote minus confirmatam testium auctoritatibus, defendi non posse concedimus; egregie tamen eadem uti nos posse nobis videmur ad sensum loci verum inventendum. Nempe vocem בְּרָאָתָה jam non accipimus de cupiditatibus quibuscunque, sed definite de illo desiderio, quod habet qui rumpere amicitiam vel societatem cum alio contractam cupit, & quod in hoc ipso positum est, ut abdicandi semet subtrahendique opportunitatem aliquam nanciscatur. Ad syntaxin vero quod attinet; extat locus simillimus Jobi X, 6, ubi pariter שְׁבִבָּה construitur cum הַ preffixo, & objectum, quod queritur, reticetur: qui locus cum, nostra quidem sententia, reddi alio modo quam hoc nequeat, quod exquiris ALIQVID quod mihi tanquam crimen imputare possis; nostrum quoque pari ratione vertendum existimamus, qui desiderat rumpere societatem querit ALIQVID pro hoc suo desiderio, seu, aliquid quod hoc desiderium jicare possit. Hoc vero quid quæso aliud est quam illud ipsum quod, breviore modo atque ad intelligendum faciliore formula, expressit Alexandria: ut adeo jure dubitari possit, an revera lectione is usus fuerit tali, quæ a recepta illa sit diversa. — De altero hemistichio non attinet multa dicere. Rectissime enim docuit SCHVLTENSIS in Origin. hebr. pag. 337 coll. pag. 348, verbum יְרַגְּלֵנָה, Proverbiorum libro primum, non ut multis antea visum fuit, declarandum esse ex cognato לְלָגָה, sed ex usu potius lingue arabicæ, in qua يَرْجُلُونَ, quando de ore usurpatum, tale or denotat, cuius labia restringita sunt & dentes apparent, quod vel ridendo sit, vel etiam rixando. Et priorem quidem, ridendi, notionem Cyrus interpres adhibuit tum hoc loco, tum altero cap. XX, 3: posteriorem vero, docente SCHVLTENSIO loc. cit. pag. 339, tribus in locis Chaldaeus, cui nos quoque ac-
cedi.

cedimus, quamquam & prius illud locum habere hic commodissime potest.

§. XI.

Cap. XV, 20. In singulis vocibus nulla hic difficultas: sed de lectione tamen breviter aliquid monendum. Cel. KENNICOTTVS, in diss. II super ratione textus hebr. V. T. impressi, pag. 188 edit. Oxon, vulgaræ lectioni, בְּסִיל אָרֵם, eam quam non Alexandr. modo, sed Chald, etiam Syrusque interpres refert, quamque Ipse in codice aliquo Cantabrig. deprehendit, בְּנֵי בְּסִיל, præferendam esse statuit, eam præcipue, nisi nos omnia fallunt, ob causam, quod hæc videatur ad membrorum inter se contrapositionem necessaria. Enimvero, quod pace viri doctissimi dictum sit, parum nos huic crisi tribuendum esse existimamus. Nam recepta lectio aptissima est ad antithesin membrorum efficiendam, si recte illa convenienterque regulis grammaticis intelligatur. Scilicet בְּזֹה אָמַן orationis subjectum est, ad quod non minus pertinet quam ad בְּנֵי בְּסִיל, in formula autem בְּסִיל אָרֵם, qua prædicatum continetur, periphrasis est superlativi, velut in Es. LIII, 3 & Ps. XXII, 7. debetque sensus loci nonnisi hac ratione exponi: filius sapiens letificat patrem, at filius spernens matrem fluentissimus est. Præterea, si ambæ lectiones inter se comparentur, probabiliter ostendi vix potest, qui factum sit ut lectio בְּנֵי בְּסִיל, utpote ad intelligendum facillima, degenerarit in alteram, בְּסִיל אָרֵם, paullo difficiliorem: hac vero posita mirum videri non potest ad illam deflexisse interpres librariosque, vel quod necessariam eam putaverint ad oppositionem, vel quod similem locum cap. X, 1 habuerint in animo sibi obversantem. Est autem certissima atque ad recte judicandum de variis lectionibus utilissima observatio, duarum lectionum illam esse antiquiorem, ex qua alterius origo probabiliter potest demonstrari. Conf. liber eximus, qui prædiit sub titulo, *Elemenſ de Critique, par M. l'Abbé Morel, à Paris 1766. 8.*

pag. 25 sq.

T A N T V M.



JJ 4467

ULB Halle
005 375 053

3



bna

VDA8

BW

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimeters

Inches

OBSERVATIONES

AD QVAEDAM LOCA

PROVERBIORUM SALOMONIS

QVAS

RECTORE

VNIVERSITATIS EBERHARDINAE CAROLINAE

MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DVCE ET DOMINO

DOMINO

C A R O L O

DVCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIAE REGNANTE

rel. rel.

P R A E S I D E

CHRISTIANO FRIDERICO SCHNVRRER

LING. GR. ET ORIENTT. PROF. P. O.

ET CONTYBERNII ACADEMICI RECTORE

AD LEGITIME CONSEQUENDOS HONORES MAGISTERII
PHILOSOPHICI

PVLICE DEFENDENT

a. d. Sept. MDCCCLXXVI

RESPONDENTES

JOHANNES FRIDERICVS HOFFMANN, *Stuttgart.*

ET

JOHANNES THEOPHILVS SPRENGER, *Gæppingen.*
SER. STIPEND. ET MAG. PHILOS. CANDIDATI.

TVBINGÆ, LITERIS SIGMVNDIANIS,